



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Ioannis Cochläei De Actis Et Scriptis Martini Lvtheri Saxonis**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1565**

Acta & scripta Lutheri, Anno Domini M. D. XXXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29789**

dati, quid vos adultores, in Defensorijs libellis, contra Ro. Pont. æditis. quod clarissime per propria Regis vestri verba, quæ protulit contra Lutherum olim (antequam vestris fuisset effascinatus & excæcatus assentationibus) in libro vno de Sacramentis Ecclesiæ, & in Epistolis duabus (quarum vnam ad Duces Saxoniz, alteram ad ipsum Lutherum scripsit) reprobari, confutari ac redargui non possit? Ego hic, breuitatis gratia, ex tuo duntaxat libello, quem Orationem vocas, pauca referam, ex quibus intelligatis confusionem vestram maximam &c.

*Acta & scripta Lutheri,  
Anno Domini  
M. D. XXXVII.*

**R**omanus Pontifex Paulus III. indixit hoc anno Generale Concilium, Mantuzæ celebrandum, Ad quod Lutheranae quoque Principes vocauit. Quod ubi intellexerunt Lutherus & complices eius, variis machinationibus ac scriptis Concilij auctoritatem impugnare cœperunt. Etenim Vuittenberge euulgauerunt XXX. propositiones, contra Concilia publice disputandas. Inter quas Duodecima sic habet. Ideo Concilium aut Episcopi congregati, errare possunt, æque bene sicut alij homines. Et Sequens hanc ita ait. Si autem non errent, hoc fit à casu,

*30. propositiones Luth. contra Concilia.*

*Contra va-  
nam excusa-  
tionem Luth.*

*Ridicula f-  
gmenta Lu-  
the.*

aut ex merito alicuius sancti ac boni viri, qui  
inter eos est, aut etiam generalis Ecclesie &c.  
His autem 30. propositionibus, opposuit Co-  
chlæus 30. Testimonia, ex scripturis, ex legi-  
bus, ex Canonibus & sanctis patribus, pro Con-  
ciliorum autoritate: Quibus & LXX. propo-  
sitiones adiunxit, eandem confirmantes. Scri-  
psit & in eorum excusationem, Sinalcaldia da-  
tam, quæ Quadruplici forma euulgabatur, par-  
tim Latine partim Teuthonice. Multis namque  
vanis querelis & cauillis, contra Bullam indi-  
ctionis inuehentes, causam suam palliare que-  
rebant: Tametsi verba illius nulli bono viro  
displicere iure poterant. Sic enim ait ibi Pon-  
tifex. Sperantes & cum Dei auxilio nobis pro-  
mittentes, per hoc tam sanctum ac salutare re-  
medium (Concilium videlicet) non solum om-  
nes hæreses & errores ex agro Domini extir-  
pandos, & Christiani populi mores corrigen-  
dos: sed & vniuersalem pacem inter fideles co-  
ponendam, & facta sub vexillo salutiferæ Cru-  
cis contra infideles generali expeditione, regna  
& terras nostras, ab illis occupatas: recuperan-  
das, captiuosque innumerabiles liberandos, &  
infideles ipso, ad sanctam religionem nostram,  
fauente Domino, conuertendos. Vt sic vniuer-  
so orbe, in vnum idemque ouile Domini coa-  
lescente, in vera fide, spe & charitate, sobrie,  
iuste & pie viuatur, & inde ab omnipotenti  
Deo corona iustitiæ expectetur &c. At illi,  
nihil horum attendentes, ludicris figmentis præoc-  
cupabant

capabant populi aures, oculosq; & animos, ne  
animaduertent eorū Laici, quid vtilitatis Bul  
la proposuerit. Effingebant itaq; novos Pas  
quillos, novas Beelzebub epistolas, fabulosas  
legendas de Ioanne Chrystostomo, quas impu  
tabant Concilio. Item, Quatuor epistolas Ioan  
nis Hus, & libellū de Donatione Constantini  
Magni, contra huiusmodi nugas & figmenta,  
quæ Germanice fuerant diulgata. Breues iti  
dē Germanice confutationes ædidi Cochleus,  
vt ex iis populi viderent maligna eorū calum  
nandi, ac per mendacia circūueniendi studia.

Traxerunt præterea in sectam suam Illustriss.  
Ducē Saxonie Henricū, fratrem Ducis Georgij:  
eius videlicet, quem tot iniuriis, molestiisq; &  
calūniis, per varias malignitatis suæ machina  
tiones vexauerat Lutherus. Adebant novas or  
dinationes Caremoniarū, novos hinc inde Ca  
techismos, etiā illi qui cū Laici essent, pastorale  
animarum curam administrabant nouo ritu.

Per novos itaque Visitatores constituit Prin  
ceps ille novos articulos, quos Clericis iuxta  
ac Laicis sui dominij indixit ac promulgauit.  
Quosdam quidem generaliter ad omnes subdi  
tos: Quosdam vero specialiter ad sacras Vir  
gines, in oppido Fribergensi consistentes. In  
quos sane articulos Cochleus paruum ædidi  
Teuthonice libellum, quem inscripsit, Breuem  
Glossam super novos articulos Visitorum.  
In quo sic habet exordium. Primum falsus est  
Titulus & impudens mendacium. Ait nanque

articulos istos cōformes esse sacrae scripturae, at  
 q; Cōfessionī & Apologiae Augustanae: Quādo  
 quidē neq; sacra scriptura, neq; Confessio &  
 Apologia illa, interdicūt aut abrogant Missam,  
 nec horas Canonicas. Scriptura quippe ait. Ab  
 ortu & occasu magnū est nomē meū in gētib;  
 & in omni loco sacrificatur & offertur nomini  
 meo oblatio mūda. Itē, Septies in die laudē di-  
 xi tibi. Itē, Media nocte surgebā, ad cōfiteūdū ti-  
 bi. Et Confessio illa sic habet. Falso acculantur  
 Ecclesiae nostrae, quod Missam aboleāt &c. Item  
 Apologia. Iterū (inquit) praefandū est, Nos nō  
 abolere Missam, sed seruare atq; asserere eā re-  
 ligiose: sūt enim apud nos Missae singulis die-  
 b<sup>9</sup> Dominicis & Festis. Cōtra hęc autē statuunt  
 isti articuli, vt Nobiles de cetero nō permittā,  
 Plebanos & pastores suos vllam celebrare am-  
 plius Missam. Prohibēt insuper pulsū ad Aue  
 Maria: Vetāt canere Salue regina, Regina cœli:  
 Interdicūt benedictiones aquae, salis, placenta-  
 rū, herbarū, palmarū &c. Quod certe neq; Con-  
 fessio, neq; Apologia facit: falsus igitur & men-  
 dax est Titulus. Quoniam vero articuli isti ab  
 iisce hominib<sup>9</sup> cōstituti sunt, qui neq; Papalem,  
 neq; Episcopale habēt auctoritatem, sed lupi po-  
 tius sunt rapaces, quā legitimi & Ecclesiasti-  
 ci pastores: non possunt vllius hominis ligare  
 aut astringere cōsciētā. Cōfutātur itaque & ab  
 ipso eorū nouo Idolo Vuitenbergensi, Luth-  
 rus nanq; in libello suo de saeculari potestate,  
 reprobāt eos Principes velut insanos & peruet-  
 sos,

qui in rebus fidei & Ecclesiæ, suis præsumunt subditis leges dare, præcipere ac prohibere. Hæc & id genus multa ibi Cochlæus, contra novas illorū articulorū temeritates. Cūq; in Vratislavia, in præclara & præcipua Slesæ ciuitate Duo pastores huiusmodi, quorum vnus erat Laicus, alter sacerdos vxoratus & Diogenus: scripsit aduersus Laici Catechismū Cochlæus breuē Germanicel libellū, cōtra eorū errores de Baptismo & Eucharistia. Vbi præmittit in præfatione hęc quæstionē, An scriptū esset vsq; in sacris literis, vel in patrum scriptis aut historiis, quod liceat Laico pastorale gerere officium: Sacramenta administrare populo, consecrare &c. aut sacerdoti, post susceptos sacros Ordines, vxorem ducere, atque etiā vna defuncta ducere alteram. Sed neuter illorū respondit, neque ad eam quæstionem, neque ad confutationem errorum, quos de Baptismo & de Eucharistia docebant: opibus interim & vulgi applausu secure fruētes.

*Contra Catechismum  
D. Moibani.*

*Acta & Scripta Lutheri,  
Anno Domini  
M. D. XXXVIII.*

**T** Germani nostri, atque etiam exteræ *Comparatio*  
Nationes cognoscerent clarius, quod *Ioannis Hues*  
multo minus malus impiusque fuerit *ad Luth.*